rustica iusticia et docta iusticia. Alii stellis, alii celo comparantur. Quamquam iuxta hebraicam veritatem utrumque de eruditis possit intelligi. Ita enim apud eos legimus: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iusticiam erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas eternitates. Cur Paulus apostolus vas electionis? Nempe quia vas legis et scripturarum sanctarum armarium. Pharisei stupent in doctrina domini et mirantur in Petro et Iohanne, quomodo legem sciant cum litteras non didicerint. Quicquid enim aliis exercitatio et cotidiana in lege meditatio tribuere solet, illis spiritus sanctus suggerebat. Et erant iuxta quod scriptum est docibiles dei. Salvator duodecim annorum in templo sedens de questionibus legis interrogans magis docet dum prudenter interrogat. Nisi forte rusticum Petrum, rusticum dicimus Iohannem, quorum uterque dicere poterat: Et si imperitus sermone, non tamen scientia. Iohannes rusticus, piscator, indoctus? Et unde illa vox, obsecro: In principio erat verbum, et verbum erat apud deum. Logos enim grece multa significat. Est enim et verbum et ratio et supputatio et causa uniuscuiusque rei per quam sunt singula que subsistunt. Que universa recte intelligimus in Christo. V.

V Hoc doctus Plato nescivit, hoc Demostenes eloquens ignoravit. Perdam, inquit, sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobabo. Vera sapientia perdet falsam sapientiam, et quamquam stulticia predicationis in cruce sit, tamen Paulus sapientiam loquitur inter perfectos; sapientiam autem non seculi istius, nec principum huius seculi qui destruuntur, sed loquitur dei sapientiam in misterio absconditam, quam predestinavit deus ante secula. Dei sapientia Christus est; Christus enim dei virtus et sapientia dei. Hec sapientia in misterio abscondita est, de qua et noni psalmi titulus pro occultis filii, in quo sunt omnes thesauri sapientie et scientie dei absconditi. Et qui in misterio absconditus erat, predestinatus est ante secula. Predestinatus autem et prefiguratus in lege et prophetis. Unde et prophete appellabantur videntes, quia videbant eum quem ceteri non videbant. Abraham vidit diem eius et letatus est. Aperiebantur celi Ezechieli qui populo peccatori clausi erant. Revela, inquit David, oculos meos et considerabo mirabilia de lege tua. Lex enim spiritualis est, et revelatione opus est ut intelligatur, ac revelata facie dei gloriam contemplemur. Liber in apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur, quem si dederis homini scienti litteras ut legat, respondebit tibi: Non possum, signatus est enim. Quanti hodie putant se nosse litteras, tenent signatum librum, nec aperire possunt nisi ille reseraverit qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit. In actibus apostolorum sanctus eunuchus, immo vir (sic enim eum scriptura cognominat), cum legeret Ysaiam, interrogatus a Philippo: Putasne intelligis que legis? respondit: Quomodo possum nisi me aliquis docuerit? Ego, ut de me interim loquar, nec sanctior sum eunucho nec studiosior, qui de Ethiopia, id est de extremis mundi finibus venit ad templum, reliquit aulam regiam, et tantus amator legis divineque scientie fuit ut etiam in vehiculo sacras litteras legeret. Et tamen cum librum teneret et verba domini cogitatione perciperet, lingua volveret, labiis personaret, ignorabat eum quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Ihesum qui clausus latebat in littera. O mira doctoris virtus! Eadem hora credit eunuchus, baptizatur, fidelis est et sanctus, et magister de discipulo, plus in deserto fonte ecclesie quam in aurato sinagoge templo reperit. Hec a me perstricta sunt breviter. VI.

VI Neque enim epistolaris angustia evagari longius patitur, ut intelligeres te in scripturis sanctis sine previo et monstrante semitam non posse ingredi. Taceo de grammaticis, rethoribus, philosophis, geometricis, dialecticis, musicis, astronomicis, medicis, quorum scientia mortalibus vel utilissima est et in tres partes scinditur: in doctrinam, rationem et usum. Ad minores artes veniam, et que non tam lingua quam manu administrantur: agricole, cementarii, fabri metallorum lignorumque, cesores, lanarii quoque et fullones, et ceteri qui variam suppellectilem et vilia opuscula fabricant, absque doctore non possunt esse quod cupiunt. Quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Sola scripturarum ars est quam sibi omnes passim vendicant. Scribimus indocti doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi presumunt, lacerant, docent antequam discant. Alii adducto supercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de sacris litteris philosophantur. Alii discunt, proh pudor, a feminis quod viros doceant. Et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia, edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt. Taceo de meis similibus, qui si forte ad scripturas sanctas post seculares litteras venerint, et sermone composito aurem populi mulserint, quicquid dixerint hoc legem dei putant, nec scire dignantur quid prophete, quid apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit et non viciosissimum dicendi genus depravare sententias et ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus homerocentonas et virgiliocentonas, ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere christianum, quia scripserit: Iam redit et virgo, redeunt saturnia regna, iam nova progenies celo demittitur alto; et patrem loquentem ad filium: Nate meae vires, mea magna potentia solus; et post verba salvatoris in cruce: Talia perstabat memorans fixusque manebat.

STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ
http://digital.slub-dresden.de/ppn341421227/4